



## **Crimen Fori Ecclesiastici**

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt duo Indices, unus Titulorum initio Operis, alter rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem

**Schmalzgrueber, Franz**

**Ingolstadii, 1727**

**VD18 13510827-001**

Titulus XXIII. De Delictis Puerorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75232)

## TITULUS XXIII.

De Delictis puerorum.

## SUMMARIUM.

1. Quinam dicantur Infantes, Pueri, Puberes?
2. Quinam perfectè puberes, vel proximi infantie.
3. Aut pubertati?
4. &c. An puniri possint infantes, amentes, furiosi?
7. &c. Quid dicendum de proximis infantie?
9. &c. Vel pubertati?
12. &c. Quid de Minoribus pubertatem adeptis?
14. &c. An pueri teneantur etiam crimine adulteri, & aliis Delictis carnalibus?
16. &c. An pœnam pecuniariam, latam in filium impubere, vel minorem, teneatur prestare Pater?

Recensuimus hæcenus diversorum Delictorum pœnas: discutiendum nunc est, an isdem etiam teneantur Pueri?

Quæritur 1. quinam hic veniant puerorum nomine? w. hoc nomine veniunt, qui infantiam, h. e. septimum ætatis annum egressi sunt l. in sponsilibus 24. ff. de Sponsal. & c. un. de Despons. impuber. in 6. & nondum impleverunt annum 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint. Abb. in c. 1. h. tit. n. 2. Menoch. de arbit. cas. 57. n. 2. § 10. Farin. prax. crim. q. 92. n. 6. Paul. Zacchias Q. Q. Medico. Leg. l. 1. tit. 1. q. 4. n. 11. Valenti. hic n. 1. y. dicitur, Wiestner ibidem n. 1. nam qui Septimum ætatis annum nondum egressi sunt, Infantes; qui verò 14. si mares, vel 12. si fœminæ sint, jam impleverunt, Puberes appellantur c. pueris 1. h. tit. ibi, Nisi ab annis 14. cum pubescere coeperint. Et hi quidem Posteriores usque ad annum 25. ætatis, à quo virilis ætas incipit, vocari solent Minores Zacch. l. cit. q. 6. n. 9. Farin. n. 3. § seqq. Wiestner n. 1.

Multùm autem refert in delictis considerare etiam vicinam ad aliquam ex his ætatibus: hinc Jura, & Interpretes distinguunt inter Infantes, & infantie proximos; inter puberes, & pubertati proximos; & inter eos, qui plenam pubertatem dicuntur adepti. Pubertas plena in fœminis datur ab anno 14. in mare ab anno 17. vel 18. Farin. l. cit. n. 20. Infantie proximi dicuntur, qui septennium non multùm excesserunt: tempus verò hoc nonnulli cum Gomez de Delict. c. 1. n. 57. y. & dicitur proximus infantie extendunt usque ad 10. annum cum dimidio, si masculus sit, si verò fœmina, usque ad annos novem cum dimidio. Menochius verò de arbit. cas. 57. cit. n. 12. § seqq. contendit, Infantie proximum dici ab anno 7. usque ad octavum, & inde suprâ Judicis arbitrio.

Circa Proximos pubertati, quinam tales dicendi sint, non conveniunt DD. prout notavi Libr. 4. Tit. 2. n. 44. Nam Gloss. in §. pupillus V. Infantie. Inst. de inutil. stipul. Navar. l. 4. cons. 39. n. 11. edit. 1. Gomez de Delict. c. 1. post n. 57. Odd. de restit. in integr. p. 2. q. 80. n. 46. & alii apud Sanch. l. 1. de Matr. D. 51. n. 24. & Farin. l. cit. n. 9. contendunt, tunc masculum censerì pubertati proximum, quando excedit decimum, & dimidium annum; fœminam verò, quando nonum, & dimidium. Paulò magis tempus hoc contrahit Gonzal. in c. continebatur 6. de Despons. impub. n. 5. à Jure Ecclesiastico fœminam quidem censerì regulariter pubertati proximam anno undecimo ætatis saltem ad finem vergente, & sub initium duodecimi marè verò sub finem decimi tertii, & initium decimi quarti. Alii arctiorem adhuc statuunt terminum: & aliqui quidem cum Baldo, Cotta &c. apud Farin. n. 12. pubertati proximum voluerunt dici eum, qui per sex menses; alii verò cum Host. in c. continebatur cit. qui per tres dies à pubertate distat. Veriùs alii, ut n. 44. annotavi, istud relinquunt determinandum arbitrio Judicis, cum contingat alios aliis citiùs rationis usu, & judicio pollere: quam sententiam hodie magis receptam ait Pirhing hic n. 3. not. 3. In materia criminali, ut notant König hic n. 3. Reiffenstuel ibid. n. 5. discrimen ætatis inter mare, & fœminam nullum fit, sed in utrisque pubertas habetur exacto anno 14. quod etiam innuere videtur Constit. crim. Carol. V. art. 164. ubi indistinctè decernitur reum hac ætate minorem non capitali, sed mitiori pœnâ plectendum.

Quæritur 2. an puniri possint Infantes, amentes, furiosi &c. Ratio dubitandi est 1. quia ex mente S. August. can. adhuc 31. de Pœnit. dist. 3. & S. Hieron. can. si enim 40. S. eligat. y. nos autem de Pœnit. dist. 2. nec infans unius diei esse si-

ne peccato potest. 2. quia teste S. Gregorio l. 4. Dial. c. 19. quinque annorum infans propter blasphemias è parentum manibus à Diabolo est abreptus. 3. quia hodiernis temporibus etiam minores septennio doli capaces esse satis demonstrat experientia, ex qua patet, infantes hodie melius scire ad taxillos ludere, & alios decipere, quàm majores 30. annorum.

5 *Sed dicendum*, in eos nec Civili, nec Criminali poenâ posse animadverti. Farin. *prax. crim.* q. 92. n. 46. & seqq. Barbof. in c. 1. b. tit. n. 2. Gonzal. in c. fin. eod. n. 8. Pirhing *hic n.* 1. König n. 1. Reiffenstuel n. 1. & constat l. *sed* § si §. §. *ideo* 2. ff. ad Leg. Aquil. l. quod infans 60. ff. de R. V. l. infans 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. ubi dicitur, quòd infans, vel furiosus, si damnum fecerint, vel aliquem occiderint, non teneantur ad poenam: & ratio l. *infans* cit. additur, quia alterum innocentia consilii tuetur, alterum fati infelicitas excusat. Concordat Clem. un. de Homicid. Ratio est quia propter defectum sufficientis usûs rationis doli capaces non sunt, & quid agant, ignorant.

6 Neque aliquid aliud probant Argumenta allata. Ad 1. id intelligendum est de pronitate ad malum, ut in *can. adhuc* cit. notat. Barbof. n. 3. vel ut cum Turrecr. in *can. cit.* vult Gonzal. in c. fin. n. 14. de peccato Originali, quod nobilium in lucem hanc ferimus, & circumferimus, nisi Baptismi lavacro purgemur. Ad 2. in puero illo vel malitia prævertit ætatem, vel si doli adhuc incapax erat, ea arreptione DEUS puniit parentum coniventiam, & malam educationem, ut post Card. Ann. & alios notavit Farin. q. 92. cit. n. 50. Ad 3. licet quandoque doli capaces infantes fuisse compertum fuerit, tales tamen casus in consequentiam trahendi non sunt, nec propterea dicendum, infantes ex delictis suis puniri posse, Farin. l. cit.

7 Quæritur 3. an puniri ob delicta possint infantia proximi, seu qui septennium non multum excefferunt? *Certum est*, ob delicta puniri non posse, si doli nondum capaces sint. Farin. *prax. crim.* q. 92. n. 46. quia & ipsi, quid agant, ignorant, & non multum distant à furioso §. *sed quod* 10. Inst. de imut. stipul.

*Dubium* duntaxat est de iis, qui doli capaces sunt: & rationem dubitandi facit c. *puer* 1. b. tit. ubi Gregorius I. pronuntiat, puerilem ætatem, sicut à peccato, ita à poena quoque saltem mitiori immunem non esse.

8 Verum hic textus, ut communius eum intelligunt Interpretes, & DD. accipi debet de ætate puerili, quæ pubertati

proxima est. *Hinc dicendum*, etiam illos, qui infantia proximi sunt, quamvis usum aliquem rationis habeant, à poena eximi. Farin. q. 92. cit. n. 56. Carpozov. *prax. crim.* q. 143. n. 130. Barbof. in c. 1. b. tit. n. 2. Gonzal. in c. fin. 9. Pirhing *hic n.* 1. König n. 2. Wiestner n. 3. Reiffenstuel n. 2. Ratio est, quia in his ob infirmitatem Judicii dolus non consideratur.

Adde tamen, etiam istos, si quid delinquant, præsertim ubi doli capacitas haud obscuris signis in iisdem conspicitur, severius nonnunquam compescendos esse, ne delinquere assuescant. Odd. *de resit. in integr.* p. 2. q. 80. n. 45. König n. 2. cit.

Quæritur 4. an à poena immunes sint pueri, qui infantia proximi non sunt, sed ab ea ad pubertatem jam magis accesserunt? Videntur generaliter immunes esse 1. ob textum c. *referente* 2. b. tit. ubi Alexander III. nullo facto discrimine, in pueris, inquit, *relinqui solet inultum*, quod in aliis proventioris ætatis humane Leges dicunt *severius corrigendum*. 2. id ipsum habetur l. *impuerem* 22. pr. ff. de Leg. Corn. de fals. & l. *quoniam* 1. v. *impueres* C. de fals. monet. ubi ratio redditur; quia ætas eorum, quid videat, ignorat: & propterea dolus malus in eam non cadit. 3. ex ratione: quia pupilli sine autoritate Tutoris obligari, & conditionem suam deteriorem facere non possunt l. *contra* 28. pr. ff. de Pact. & l. *obligari* 9. ff. de auctor. Tutor. hoc autem fieret, si Delictorum poenis tenerentur.

Sed respondendum est distinguendo inter peccata commissionis, & omissionis. Nam ob peccata commissionis, ut sunt homicidia, furta, mendacia puniri possunt, sed poenâ mitiori, quàm alii. Clar. §. *fin.* q. 60. pr. Menoch. de arbitr. cas. 329. n. 2. Farin. *prax. crim.* q. 92. n. 64. & seqq. Vivian. in c. 1. b. tit. §. *puniuntur*, & in c. 2. eod. pr. Gonzal. *ibid.* n. 11. Vallens. *hic n.* 1. §. *quodsi*, Engl. n. 1. Pirhing n. 2. §. 3. not. 3. König n. 3. Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 3. & clarè decisum est c. *puer* 1. b. tit. & l. *exciipiuntur* 14. ff. de S. C. Syllan. ibi, *Nam is puer nec multum à puberi ætate aberat*. Ratio est, quia ob defectum judicii, & prudentia minus malitiosè, & dolosè delinquere præsumuntur, quàm ætate perfectiores; & ideo mitius etiam quàm isti puniuntur arg. l. *ferè in omnibus* 108. ff. de R. J. aded ut, etsi crimen capitale committant, ultimo supplicio affici non possint; nec etiam torqueri l. *cum aliter* 1. §. *impueri* 33. ff. de S. C. Syllan.

Contrà ex Delictis omissionis ad poenam pueri non tenentur, ut aliis *cit.* volunt

sunt Farin. l. cit. n. 69. § 72. Engl. n. 2. Wiefner n. 6. Reiffenstuel n. 6. Ratio est, quia in hujusmodi Delictis etiam Minores illis, servantur l. licet 2. c. si advers. Delict. & l. minoribus 6. ff. de his, quib. ut indol. quod imprudentia potius, quam malitia omisisse præsumantur: ideoque locus sit Reg. fere in omnibus cit. Excipitur, nisi probetur, quod in omissione intervenerit dolus; nam iste si probetur, pueri à pœna non omnino eximuntur, prout constat ex l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan. Farin. n. 78. Reiffenstuel n. 6. cit.

Neque obstant Argumenta contraria. Ad 1. in c. fin. cit. inultum dicitur, quod non perfectè, h. e. infra Legis rigorem punitur, ut norant Gloss. & Host. ibid. V. inultum. Ad 2. Lex illa solum intelligenda est de Delicto omissionis; nam Delicta commissionis etiam in pueris puniuntur: & hinc furti, ex Lege Aquilia, & ex quavis injuria tenentur l. sed § 5. S. § ideo 2. fin. ff. ad Leg. Aquil. l. impuberem 23. ff. de Furt. l. illud 3. §. sine 1. ff. de Injur. § l. pupillum 111. ff. de R. J. & Clericum percutientes Excommunicationem Canonis incurunt c. super eo 1. & c. fin. de Sent. Excomm. Ad 3. id tantum procedit in Contractibus, Jure sic disponente, ut velle, & nolle in damnum proprium sine Tutoris autoritate non habeant, ne cum aliis contrahendo ab his facillè decipiantur,

Quæritur 5. an similis pœnæ mitigatio etiam observanda sit in Minoribus, qui pubertatem adepti, adhuc tamen 25. annis minores sunt? R. hi quidem ob delicta commissionis puniri pœnâ ordinariâ possunt arg. l. si ex causa 9. §. nunc videndum 2. ff. de Minor. ibi, Placet, in delictis minoribus non subveniri. quod repetitur l. auxilium 37. §. sed § 1. ff. eod. tamen regulariter loquendo, & nisi alia delictum aggravantia concurrant, Judex minores mitius punire potest, & solet, quam majores arg. §. sed § cit. ibi, in Delictis autem minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Judicem produxerit. Concordat l. fere in omnibus 108. ff. de R. J. ibi. Fere in omnibus pœnalibus Judicis ætati, & imprudentia succurritur. Clar. §. fin. q. 60. n. 3. Menoch. de arbitr. cas. 329. n. 12. § seqq. Farin. prax. crim. q. 92. n. 41. § seqq. Barbof. in c. 1. n. 3. & in c. fin. n. 6. h. tit. Wagnereck in c. 2. eod. in Exeg. Vallens. hic n. 1. v. quod. ff. Pirhing n. 4. König n. 4. Reiffenstuel n. 5.

Judex igitur his ob minorennitatem pœnam ordinariam mitigare potest, R. P. Schmalzgrueber L. V. T. 1.

videlicet pœnam mortis qualificatam convertendo in Simplicem, & hanc in pœnam fustigationis, aut relegationis, modò hujus mitigationis justam, & probabilem causam habeat. Carpzov præf. crim. q. 123. n. 80. § seqq.

Non enim in omnibus casibus doctrina hæc obtinet; nam 1. excipiuntur Delicta Spiritualia, prout est crimen Hæresis, & Simonia: nam in his non puniuntur minores mitius; quia in Spiritualibus major 14. annis habetur pro majore. Hinc ordinariâ pœnâ puniendi sunt, nisi eos Delicti commissi pœniteat; tunc enim pœnitentia serviet ad minuendam pœnam, Farin. q. 92. n. 130. & ab hoc cit. 2. Si crimina sint proflus enormia, nec spes emendationis appareat, ut in Veneficiis; nam hæc committentes ultimo supplicio possunt affici arg. l. excipiuntur 14. ff. de S. C. Syllan. & Cons. crim. Carol. V. art. 164. Farin. n. 107. Engl. n. 2. König n. 3. Reiffenstuel n. 4. quod locum habere putat Decianus etiam in Crimine læsæ Majestatis apud Farin. n. 107. ubi tamen idem Farinacius vult duo concurrere; unum est, ut delinquens sit major 14. annis; alterum, ut super hoc consulatur Princeps: & sic in Urbe idem Farinacius advertit, nunquam minores 20. annis fuisse morti traditos, nisi Principe consulto. 3. nisi aliqua nova Constitutio statueretur, ut Minor ordinariâ pœnâ puniatur; talis enim Constitutio servanda est. Farin. n. 182. §c.

Quæritur 6. an Pueri teneantur etiam Crimine Adulterii, & aliis Delictis Carnalibus? Videntur non teneri ob textum c. pueris 1. h. tit. ubi ab hujusmodi Criminum pœna, & culpa videntur absolvi.

Sed respondendum est, si malitia præveniat ætatem, & ante hanc ad copulam carnalem habiles reperiantur, eos etiam de his Delictis teneri, quamvis mitiori pœna afficiendi sint, quam reliqui puberes, Gomez. de Delict. c. 1. n. 59. Odd. de Restit. in integr. p. 2. q. 81. n. 22. Farin. prax. crim. q. 92. n. 77. § seqq. Gonz. in c. 1. cit. n. 13. fin. Wiefner hic n. 8.

Habetur pro hac responsione expressus textus l. si minor 36. ff. ad Leg. Jul. de Adult. ibi. Si minor annis adulterium commiserit, Lege Julia tenetur; quoniam tale crimen post pubertatem incipit: & l. si adulterium 38. §. fratres 4. ff. eod. ibi, Cum alias adulterii crimen, quod pubertate delinquitur, non excusetur ætate. Item l. auxilium 37. §. sed § 1. v. sed ut ff. de Minor. ubi Tryphoninus generaliter loquitur de omnibus capitibus, sub Lege Julia de Adulterii comprehensis.

Ddd

Una

Unde ex *c. 1. cit.* in contrarium plus non probatur, quàm quòd ejusmodi Delicta à pueris perpetrata non præsumantur, nisi probeatur, quòd malitia ætatem prævenierit.

16 Queritur 7. an poenam pecuniariam, latam in filium impuberem, vel minorem, teneatur præstare pater? Videtur teneri saltem ob Delictum filii puberis. 1. ob textum *c. fin. b. tit.* ubi Pater absolvitur à præstanda poena pecuniaria filii impuberis, igitur tenebitur ad poenam filii puberis. 2. quia ita alicubi Statuto receptum esse testis est Fachin. *l. 9. contr. c. 52.* 3. quia aliàs filius ex Delicto suo frustra conveniretur, & condemnaretur.

17 Sed dicendum, si Pater non fuit Delicti particeps, aut in filii correctione negligens, ipsum ad ejusmodi poenam non teneri. Ita Abb. in *c. fin. b. tit. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 9.* Manz. *de Legitima q. 15. n. 10.* Pirhing *hic n. 5. § 6.* Westner *n. 11. ibid.* tum quia generaliter constitutum est, neminem alienæ culpæ debere fieri succedaneum *l. crimen 26. ff. & l. sancimus 22. C. de Pœnis;* tum verò quia *l. neque 1. & l. si filius 3. C. ne filius pro patr. Sc.* specialiter habetur de patre, quòd ex delicto filii conveniri non possit, nisi in quan-

tum factus est locupletior ex filii delicto. *l. licet 3. §. ex furitiva 12. ff. de Pecul.* Accedit, quia vivente patre legitima non potest separari à bonis Patris *l. hic titulus 1. §. si impubere 21. ff. de collation.* & quamvis pater teneatur filium alere, tamen æs alienum pro eo solvere non cogitur *l. si quis 5. §. si mater fin. ff. de Liber. agnosce.*

Neque aliud evincunt Argumenta, opposita. *Ad 1.* Argumentum à sensu contrario contra expressam Juris dispositionem non valet, hic autem datur talis dispositio Juris. *Ad 2.* Statuta hujusmodi, & consuetudo, cum occasionem præbeant filio degeneri facultatibus spoliandi Patrem, non videntur satis esse consentanea rationi. Host. in *c. 2. b. tit. V. consuetudinem.* Abb. *ibid. n. 2.* Covar. *l. 2. var. c. 9. n. 2.* Clar. *V. Homicidium n. 19.* Menoch. *Conf. 100. n. 119.* Barbos. in *c. 1. cit. n. 8.* Harppr. in *§. fin. Inst. de noxal act. n. 12.* Pirhing *hic n. 7.* Westner *ibid. n. 11.* *Ad 3.* non frustra ex Delicto suo convenitur, aut condemnatur filius; nam satisfacere cogitur ex peculio suo Castrensi, vel quasi Castrensi: vel si tale non habeat, aliter, quàm multa pecuniaria plectendus erit, ut peccatum suum teneat Authorem,

